DAVIDIS MONOMACHI
LIBER SECVNDVS.

VErtitur interea cælum, cursúque diuino
Fessus equos Titan sub gurgite mergit Ibero,
Inuoluens piceo noctis velamine terras.
Isaides (nec enim præsens dare membra quieti
Cura sinit) tacito passu potusq́, cibíque
Immemor, arcani latebras petit auius antri,
Multa mouens: illic insperſus puluere crines
Auricomos, scissáque pio de pectore veste,
Procidit in faciem lacrymans, paulóque leuatus,
Humida cum geminis tollens ad sidera palmis
Lumina, sic humili gemebundus voce precatur.
Ios. c. 6. *O Deus, ad cuius nutum firmissima quondam*
Mœnia, sponte suâ, nullo testudinis ictu,
Præcipitem subito lapsu traxere ruinam,
Fatali sonitu septem labefacta tubarum.
Iud. c. 3. *O Pater, auspicio cuius sibi vindice ferro*
Læuam armauit Ahod, crudum quo perderet Æglon,
Hebræiúque iugum generis laxaret acerbum.
Iud. c. 15. *O per quem Manoæ sacrato inuicta capillo*
Progenies Samson, maxillâ instructus Onâgri,
Mille viros vnâ potuit vice fundere solus:
Da mihi robur idem, Goliam da viribus ijsdem

Ster-

Sternere, Iudæáq; vlciſci gentis honorem,
Quem canis hic, nomenque tuum, ritusq; ſacrorum
Extirpare parat, numero armituumque, Ducumque
Fretus: at immensâ membrorum, ante omnia, mole
Quâ genus omne virûm præſe contemnit, vt Indus
Exiguos mures Elephas, creditq; profanus
Se quoque poſſe tuo (indignum!) te pellere cælo:
Ignarus crines numeratos eſſe tuorum,
Et quæcunque placet vinciri brachia, vincta
Eſſe tibi, proq; arbitrio, nunc robore fortes
Te ſpoliare ſuo, ſolidas nunc addere vires
Inualidis, & cuncta tuo te vertere nutu.
Eia igitur, da magne parens, vt gentis iniquæ
Terror, & excidium tantillus homuncio dicar:
Fac Deus, vt directa tuâ mea dextera dextrâ
Gethæum tumidum lethali proterat ictu.
Da cunctis pateat Iudæum in ſæcula nomen
Securum latitare tui ſub numinis vmbrâ,
Et nunquam gladios in nos ſtrinxiſſe Tyrannum,
Qui metuenda tuæ non fulmina ſenſerit iræ.
Denique da genitor, de tot ne millibus vnus
Trans vada Nepthoæ remeet, patriamve reuiſat:
Sed ferro pereant omnes, cædesq; cruentas
Noſtrorum, totidem proſtrati cædibus æquent.
Talibus orantem cælo reſpexit ab alto
Cælicolûm Rector, læuumque ad vota benignus

In-

Intonuit. Iam noctiuagas dimouerat umbras
Luce nouâ, cælo fulgens Aurora rubente.
Ießides placido per castra pauentia vultu,
Per trepidas gradiens turbas, tentoria Saûli
Rursus adit. pueri aspectu noua gaudia Regis
Perculsum attollunt animum, maioráque quàm spes,
Aut ratio ferat, Isaidæ de fortibus ausis
Concipiens, primus fari sic Rector Iudæ
Incipit: hesternâ quid luce spoponderis vltrò,
O Iuuenis, meminisse potes: si permanet ergo
Mens eadem, & ferro certandi animosa cupido;
Re tua dicta proba, promissáque prælia pugna.
Olli magnanimo respondet pectore Dauid:
Nulla mora est: quò me populi defensio sancti,
O bone Rex, legumque vocat tutela piarum:
Ecce volens adsum, mea nec promissa retracto.
Aut hac Allophylum dextrâ sub Tartara mittam
Ductorem, (sedeant socij, spectentque duellum)
Aut animam hostili effundam percussus ab hastâ.
Hæc ita iactanti loricâ pectus ahenâ
Communit Ionathas: galeâ caput induit Abner:
Porrigit Amminadab clypeum: Rex fortibus ensem
Detractum ex humeris dextro Dauidis ab armo
Suspendit, dictisq; acuit non mollibus iras.
Talibus induuijs nouus ad certamina miles
Instructus, postquam paucos procedere passus

Cona-

Conatus, nimiâ sensit se mole teneri,
Nec satis vtendis dextram sic viribus aptam;
Hei! nequeo, premor his, inquit, non munior armis
Inualidus, nec enim assueui, neque talibus æquum
Ponderibus mihi robur adest, quibus aggrauor: ergo
Arma ferenda tibi, tua Rex, non indigus horum,
Restituo, qui ferre soles, cui semper in illis
A puero quæsitus honos, & gloria palmæ.
Sic fatus, positis armis, pastoria DAVID
Ante pedes sua tela, pedum, fundamq; iacentem
Tollit humo, & peram collectis quinque lapillis
Et torrente grauem, collo sibi rursus adaptat:
Hinc teretem dextrâ fundam, baculumq; sinistrâ
Prætendens, hæc, hæc mea sunt, hæc debita Marti
Arma meo: telis, ô Rex, (absiste vereri)
His ego, non alijs hodie per vulnera sternam
Gethæum, mergamq; vadis pallentis Auerni.
Talia dicentem circumstant agmine denso
Abramidæ, & robur pueri sublime stupescunt.
Ingenti antè omnes cumulatus pectora Saûlus
Lætitià, attollens palmas, & lumina cælo:
Quando ita vis, quò se tua magna potentia, Rector
O Superûm, magis atque magis manifesta recludat,
Quando ita vis, pueri Golias succumbat vt ictu;
En vltrò sequor, & venerans tua iussa capesso.
Dixit: & ad puerum vultu DAVID *A sereno*

Conuersus : generose pugil, pia cura Tonantis
Vade age, quo tua te virtus, decretaq; cæli
Intemeranda vocant, gentisque assertior auitæ,
Nutantis patriæ dubio succurre periclo,
Luce bonâ, & meritum domito refer hoste triumphum
Parte aliâ Golias, vbi primùm nocte fugatâ
Puniceo lustrauit humum Pallantis amictu,
Immanes loricâ humeros circundat ahenâ,
Et toruam horrificans cristata casside frontem,
Fulmineum collo clypeum, lateriq; minacem
Accingit gladium, gladium quem cuderat olim
Nimbroto, & stygia candentem tinxerat vndâ
Mulciber : hinc longâ metuendam corripit hastam
Cuspide, sed pinum potius, quassatque trementem
Vociferans : nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest : da sternere campo
Corpus iners, sparsoq; solum fœdare cerebro
Semiuiri Abramidæ, viuoque recludere ventrem.
Sic furit accensus, totoque ardescit in ore
Scintillans, oculis rubrum vomit acribus ignem,
Et spissum patulis fumum de naribus efflat.
Interea sonitus repetitos ære canoro
Classica dant, pugnamque cient : circundatus armis
Isacidùm Rector Saúlus, turbâ altior omni,
Progreditur castris : illum generatus Iesse
Pro gladio fundam, longæ pro cuspidis hastâ

Agre-

Agreſtem baculum geſtans, ope fultus Olympi,
Inſequitur, dubium formâ cordiſne vigore
Rarior: eximium certè natura creârat.
Cæſaries illi medios pendebat in armos
Aurea: candentes pingebat viuida malas
Purpura, florigeri ceu blando tempore veris
Mixta rubeſcentes hyacinthi lilia pingunt.
Denique frons, oculi, ceruix, pectusq́, manusque,
Cruraque laudatos vincebant Nirios artus.
Poſt hunc magnanimus Ionathas veſtigia figit
Belligerum valido criſpans haſtile lacerto,
Quem reliquus varijs Hebræum exercitus armis
Haud ſecus inſtructus ſequitur, Mauortia quam ſi
Pugna vocet: nec non medijs in millibus, auro
Conſpicui, coccoque Duces, acerrimus Abner,
Abiſaiique, Eliabque ruunt, & fortis Aſahel,
Et pia perculſas acuunt ad prælia turmas.
Nec minus Allophylum campo ſe Ductor aperto
Horrendum, infrendens infert, comitantur euntem
Hinc atque hinc denſi Proceres, omnisque relictis
Turba effuſa ruit caſtris: tremit excita pulſu
Terra pedum: ſurgens obnubilat æthera puluis.
Vt demùm propius ventum eſt vtrimque, Gigasq́
Conſtitit aduerſus, puerumque ad bella paratum
Vidit Iëßidem; ſubita correptus inarſit
Bile ferox, imposque ſui, terramque tremendâ

Percutiens hastâ, sic ora frementia soluit:
O fortes verè Isacidæ! præstantia bello
Pectora! mirari causam iam desino, quæ vos
Hactenus oblatum impulerit differre duellum,
Queis tanti, ac tales superant in prælia Martes.
Heu stirpem inuisam! quid tandem conspicor? hicne
Scilicet in totâ bellator gente repertus
Est puer, æquali mecum qui robore certet?
Verum esto, nanumque Ducem Iudæa sequantur
Agmina, an idcircò tam spretis viliter armis
Oppugnandus ego? quid enim sibi funda, quid iste
Vult lapis, & nullo ferri munimine fustis?
Méne canem censes? vt te canis efferus Orci
Discerptum patulo trini voret oris hiatu,
Frustum hominis! sed enim non elabêris inultus.
Tantum accede pulex, accede audacule: faxo
Actutùm laniata vorent tua viscera corui.
Ille minas ridens, non me tua turgida terrent
Dicta Gigas: tu me gladio munitus & hasta,
Atque humeros latè septus thorace trilici,
Impetis; at contrà loricæ, & cuspidis expers
Omnis ego, Domini Sabaoth duce numine tutus
Occurro. Cuius sanctum, & venerabile nomen
Cottidiè probris oneras, sannisque lacessis,
Hic ille est, hodiè quo te Phlegethonta sub imum
Vindice detrudam, & dirum ceruice recidam,

Ense

Enſe caput, corpusque tuum, comitumq; tuorum
Alitibus cæli comedenda cadauera tradam.
Tum demum agnoſcent populi tua ſigna ſequentes,
Tuque ſimul, verum eſſe Deum, cui turis honorem
Nos damus, & cultis holocauſta adolemus in aris.
Tum diſcent, inquam, tecum, qui muta prophanis
Saxa colunt ſacris, Dominum, qui ſidera torquet,
» *Non gladio ſeruare ſuos, haſtâq;, nec arcu:*
» *Sed virtute ſuâ, quæ finem immenſa, modumque*
» *Non habet, atque hominum conatus ridet inanes.*
Vnde ſcias certò, quæ mecum prælia demens,
Mox periturus, inis, ea non tam prælia mecum,
Quam ſupero cum Rege tibi ſuſcepta, nefandam
Sacrilegus cui pridem animam per vulnera debes.
Talia dicentem iamdudum lumine ſpectat
Terrifico Golias, rabidaque exæſtuat irâ:
Non aliter, quàm cum circo furibundus aperto
Taurus in aduerſum, vel ſe Leo concitat, hoſtem.
Nec mora, demiſſâ pueri latus impetit haſtâ
Turbidus: exclamant ſocij, hebræaque phalanges,
Arrectaque amborum acies. Interrita fundam
Corripit, & cælum ſpectans Ieſſæa propago,
Dexter ades, Deus, & ſaxum, quod miſſile libro,
Dirige: ſic fatur, connixaque corpore toto
Ter quater adductâ circum caput egit habenâ.
Funda ſonat, rapido tortum volat impete ſaxum,

Gethæiq́ue Ducis ſpatiosâ fronte refixum
Conditur : ille cadens immani vulnere vitam
Euomit, & terræ moribundo immurmurat ore.
Qualis inacceſſo Carmeli in vertice pinus,
Quam fruſtra Æolidæ connixi euertere fratres
Non ſemel, immiſsi ſubito percuſſa fragore
Fulminis, in præceps fertur, radice reuulſá,
Ingentemq́ue trahit deuexa mole ruinam:
Terra gemit, circum ſonitu nemus omne remugit.
Quem Dauid ſuper aſsiſtens pede frigida læuo
Membra premit, propriogꝫ viri pendentia colla
Enſe ſecat. fuluâ iacet ingens truncus arenâ,
Auulſusq́ꝫ atro deſpumat ſanguine vertex.
Allophyli porrò Goliam tellure cruentâ
Singultantem animam, calcitrantemq́ue tuentes
Dant gemitum, cæco conſternatiq́ꝫ pauore
Turpiter abiectis armis trepidantia nudant
Terga fugæ. Saul acer adeſt, & Marte ſecundo
Terribilis, crudam nullo diſcrimine cædem
Miſcet, & extructos morientum calcat aceruos.
Adſunt & reliqui Proceres, Regemq́ꝫ ſequentes
Fulmineo mucrone ruunt, horum æmula pubes
Cætera confertim mactant, cæduntq́ue, fugantq́ꝫ,
Allophyloſq́ꝫ in fruſta ſecant : huic inſtat Enyo
Triſtè fremens, iraſq́ꝫ virûm, cæcoſq́ꝫ furores
Exacuit : ſæuam inde rotat mors pallida falcem,

Cuncta

Cuncta metens : resonat mœstis vlulatibus æther.
Hic lethum fugiens, alto se culmine montis
Deijcit, & sparso tellurem sanguine fœdat :
Ille feram sperans vitare in flumine Parcam,
Desilit in flumen, reperitq; in flumine Parcam :
Hic fugit, ille manet : sed eadem sorte manensque,
Et fugiens stygias pariter mittuntur in vndas.
Vt satis indultum est iræ, tandemq; recessum
Clangentes cecinere tubæ ; perfusa recondunt
Sanguine tela viri, & lætum Pæana canentes,
Certatim Isaidem festo clamore salutant,
Victorisque animos meritis super æthera tollunt
Laudibus : hunc alacer Rex ipse amplexibus arctis
Implicat, & populi circùm plaudente coronâ,
Tutorem patriæ, seruatoremque fatetur.
Fama Palestinas alis pernicibus vrbes
Peruolat interea, & gestæ miracula pugnæ
Mille tubis passim populi defundit in ora :
Imbellem puerum, puerilis verbere fundæ,
Non hastâ, non ense truci, sine cuspidis vllo
Auxilio vastum Goliam (mirabile dictu)
Demisisse neci, & propriâ iugulasse machærâ :
Et iam cum socijs latè exultantibus, & cum
Rege suo Hebronis properos ad mœnia gressus
Præcipitare, Deo pro palmâ ex hoste relatâ,
Acturum grates meritas, & thura daturum.

Pro-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Protinus effusæ Iudæis vndique ab oris
Conueniunt matres, pueri, mistæque puellæ,
Isaidæque pio redimitæ tempora sertis
Occurrunt : aliæ rauco caua tympana pulsu
Quassantes : cytharis aliæ, lituisq; cauentes:
Ductantes aliæ festas ad plectra choreas :
Pars sinibus violas : calathis pars lilia plenis,
Flauentesque crocos spargunt, mollesq; hyacinthos.
Ipse Amaranthæâ crines vmbrante corollâ,
Florentem casiam, & benè olentem victor anethum
Calcat ouans : blandos gradienti aspirat odores
Sparsa frequente rosâ tellus. vbi copia primùm
Facta salutandi. Salue puer inclyte, salue,
Fœmineæ exclamant turbæ : puer inclyte, salue,
Ingeminant pueri, & plausum super æthera mittunt.
O lumen generis ! (vox hæc sonat omnibus vna)
O columen patriæ ! tua quam iuuat ora tueri !
Quam iuuat in dextra vultus spectare cruentos
Gethæi Ductoris ! iò tua fortia fando
Gesta quis enarret ? quis iò tua laudibus æquis
Parta trophæa canat ? percussit millia Saúlus,
Tu generose decem strauisti millia DAVID.
Felix, ô igitur felix, niueoq; lapillo
Digna dies, quæ te fœcundâ mater ab aluo
Produxit, felix genitor, felicia quæ tu
Vbera suxisti : tibi quæ præconia porrò

For-

Fortunate puer, tibi quos libemus honores?
Qui meritis antiqua tuis miracula patrum,
Et pietate tuâ sécli pia facta vetusti
Omnia præuertis: tibi enim, tibi gloria læui
Cedit Abod, validi cedit tibi gloria Sampson.
Ille genus nostrum quamuis Æglone perempto Iud. c. 3.
Seruitij vinclis exemerit: hic licet vnus
Mille Philistæos congressu fuderit vno. Iud. c. 15.
Ergo tuum nomen meritò, laudisq; celebris,
Sancte puer meritò superi benefacta parentis
Pectore concordi, concordi voce sonamus:
Qui pueri dextrâ, pueri qui debilis vsus
Viribus, omnipotens prauæ sublimia gentis
Cornua confregit, tumidosque potentius ictu
Fulmineo dedit in præceps, & ad ima repressit,
Extollens humiles. Prò vasta potentia cæli,
Ac miranda nimis! quis paucos credat inermes
Armituum potuisse neci tot millia centum
Dedere? quis credat Gethæum corpore tanto,
Tantillo pueri potuisse imbellis ab ictu
Prosterni? sibi quis demum persuadeat, illi
Qui modò se Dominum victæ iactabat Idumes,
Totius atque orbis sibi debita sceptra putabat,
Nunc tantum non esse soli, quod lurida membra
Condat, & à morsu præstet secura ferarum.
Ille satellitibus modò densis vndique cinctus

Totque Duces inter, bellatorumque maniplos
Nequicquam insultans, inimico solus in agro
Nunc iacet, atque lupos, volucresq; cadauere pascit.
Nec solus tamen ille iacet, vexilla secuti
Impia, viuentis comites dum vita manebat,
Nunc quoque sanguineâ simul extenduntur arenâ.
Nec fusus iacet ille solo, sed ventre rapaci
Coruorum, viuâq; canum tumulatur in aluo.
Sic, ô sic Rector Superûm mitissime, semper
Te placidum nobis pergas præstare parentem.
Sic, ô sic nostri pergas in nominis hoste,
Iudicis infensi iustum exercere rigorem.

IN

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf